



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

De tyrannide Ebroini Maioris domus. Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

CHRONICA

davit, & alij quidam, quos in subsequentibus nominabimus: ubi etiam nonnulli ex dictis nominari possent ob longiorem vitam.

De tyrannide Ebroini Maioris domus.

C A P V T X I I I .

CLotario mortuo anno sexcentesimo sexagesimo sexto, Theodoricus frater in regnum sublimatur, ab Ebroino maiore domus, sed propter Ebroini insolentiam à Francis repudiatur, & frater eius Childericus, qui in Austrasia regnabat, ed regnandum euocatur: sed Theodoricens iterum restitutus est, anno sexcentesimo septuagesimo octavo.

Claruit sanctus Vindicianus episcopus Cameracensis, siue Atrebatenensis, qui numerosam multitudinem ad Dominum conuertit. Ecclesiam Dei genitricis Atrebatensem, ex rebus proprijs, vna etiam cum rege Theodorico, augmentauit. In villa *Hunolcure*, cum pretiosissimo martyre Lamberto, monasterium consecrauit, cui præfuit sancta Valeria. Sancta autem Maxellendis virgo à proco in agro Cameracensi martyrizatur, anno sexcentesimo septuagesimo.

Sanctum Lambertum clarissimum episcopum Traiectensem ad Mosam, episcopatu priuat Ebroinus. In exilium mittit sanctum Amatum episcopum: quem exulem primò fouebat sanctus Furseus, deinde S. Maurontus. Crudeli martyrio affecit in Artesia sanctum Leodegarium episcopum, & fratrem eius sanctum Gerinum.

Morino-

Morinorum conuersio per S. Audomarum.

C A P V T X I V .

Sanctus Audomarus moritur episcopus Morinorum, anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Velauit sanctam Austrebertam Taruanensem, & Morinos magna ex parte relapsos in idolatriam, ad veram pietatem reduxit.

Suscepit ex Luxouio Burgundię monasterio, vbi monachus fuerat, tres religiosissimos viros, sanctum Bertinum, S. Mommolenum, & Bertramnum, qui officium legationis suæ, labore continuæ prædicationis subibant: Ex his Bertinus anno sexcentesimo nonagesimo octavo, obdormiuit in monasterio suo *sithiu* dicto, quod hodie est celeberrimum monasterium S. Bertini; in oppido S. Audomari, Sanctus Mommolenus vero, obiit episcopus Noniomensis, anno sexcentesimo nonagesimo quarto. Clarebant etiam apud Morinos, sanctus Wlmarus abbas, sanctus Walbertus Comes Arkensis, qui ad Luxouium commigrans, ibi abbas obiit: sanctus Bertulfus confessor in Rentica, & in Artesia iuxta Aream, martyr Venantius.

Præterea sanctus Winocus, frater S. Iudoci, anno sexcentesimo sexagesimo venit ad sanctissimum Bertinum, sub quo in monachatu iugum Domini tulit, à quo etiam ob insignem pietatem & doctrinam in Flandriam est missus, ad prædicandum Christi Euangeliū, & abbas cellæ siue monasterij in Wormhole constitutus: vbi anno septingentesimo decimo sexto migravit, meritis & annis maturus.

Primi